



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

40. VVillelmus ab Ipra, Philippi Comitis Loënsis filius naturalis, an. 1118.  
Loënze monasterium dotat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

commendata. Huic Episcopo, & duobus iaculatoribus, Itherio & Normanno, beata Maria in ecclesia apparuit, dans eis candelam, per quam sanantur ardentes igne malo.

De cereo isto Atrebatensi fuse egimus in Fastis Belg. 30. Iunij.

## C A P V T X L.

*Willelmus, Flandriae Comitis filius, an. 1118. Loense  
monasterium dotat.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego WILLELMVS, Dei miseratione Philippi Comitis filius, mente pertractans quam nihil sint vniuersa, quæ temporaliter currunt, reuera perpendo, quòd nullæ possessiones vel hereditates melius ac tutius conseruantur, quàm quæ in cælestes thesauros manibus pauperum iugiter collocantur, seruorumque Dei vsibus in perpetuum profutura offeruntur.

Vnde pijs petitionibus domini GERARDI libenter assentiens, Loensi ecclesiæ S. Petri Apostoli, cui idem, Domino gubernante, deseruiebat, tres mensuras, pro remedio animæ meæ, ac patris mei, omniumque parentum meorum, omnino ab omni exactione & debito in perpetuum liberis contradidi; denique huius donationis confirmationem, concedente vxore mea, feci.

Et sciant vniuersi sanctæ Ecclesiæ filij, quoniam ambo concedimus, vt prædictæ mensuræ, ad opus Canonorum, & sustentationem pauperum, in potestate supra nominati Præpositi, successorumque eius, omni tempore consistant, & ab omni grauamine mundanæ oppressionis in sempiternum quietè permaneant.

Et vt hæc meæ deuotionis oblatio irrefragabiliter confirmetur, & à nemine mortalium temere infringatur, chartam istam sigilli mei impressione ego signari decreui, subsequenterque testibus astipulando corroboratui.

Signum Fibolfi Castellani Bergensis.

S. Tietbaldi Ariensis.

S. Goiffridi.

S. Rodulfi fratris eius.

S. Eustathij.

S. Alardi



- S. Alardi de Warneftun.  
 S. Dirolfi Iprensis.  
 S. Soeri, & Fromoldi fratris eius.  
 S. Willelmi Præpositi Iprensis.  
 S. Gerbodi Canonici Iprensis.  
 S. Thomæ presbyteri Loensis.  
 S. Gerardi eiusdem ecclesiæ Præpositi.  
 S. Folperti, Winnardi, Erchenbaldi, Hugonis, presbyterorum.  
 S. Balduini presbyteri & Canonici.  
 S. Veirani.  
 S. Rauanonis, & Hugonis, clericorum.  
 S. Petri Scholastici & Notarij.

Actum est autem hoc anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo decimo octavo, Indictione decima tertia, regnante Ludonico Francorum Rege, regente Flandriam Carolo Comite, pontificatus verò domini Calixti II. Papæ anno primo, Episcopatus autem domini Ioannis vigesimo. 1118.

## N O T A T I O.

PHILIPPI.) Legendum fortasse, Roberti Comitis filius. Stemmata nostra Principum Belgij cap. 19. consule.

## C A P V T X L I.

*Ioannes Morinensis seu Taruanensis Episcopus an. 1119. confirmat institutum & pradia monasterij Loensis, quod est Canoniorum regularium in diœcesi nunc Iprensi.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. IOANNES Dei gratia Morinorum Episcopus vniuersis Ecclesiæ Catholicæ filijs gratiam & consolationem sancti Spiritus.

Quoniam gentium Doctor & Apostolus nos specialiter admonet, vt bonum operemur ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, placuit nobis ecclesiam in honore S. Petri Apostoli fundatam, in villa quæ vulgò dicitur Lo, ab omni spurcitia & simoniæ infamia diligenter

R r

diligen-